J. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS DE CONTRACTU ARRHALI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA. VITTORIO EMANUELE

QUAM

DEO TRINUNO DIRECTORE

DECRETO ET AUTHORITATE

MAGNIFICI NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI JCTORUM IN INCLUTA ARGENTORATENSIUM ACADEMIA COLLEGII.

Pro ſummis in Utroq; Jure Honoribus & Immunitatibus Doctoralibus ritè adipiſcendis

Solenni disquiſitioni proponit

JOHANNES URSINUS ARGENTORAT.

Die 30 Menſis Auguſti, horis locoq; Conſuetis.

ARGENTORATI.

Typis deſcripſit JOHANN. PASTORIUS.

M. DC. LX.

AMPLISSIMO

LIBERALIS ATQUE PII SCHENCK-BECHERIANI LEGATI.

EXECUTORUM COLLEGIO

DN. EPHORO
DNN. DIRECTORIBUS
Ceteriſq; DNN. ASSESSORIBUS

VIRIS

NATALIUM CLARITATE, VIRTUTUM EXCELLENTIA, CONSILIORUM PRUDENTIA, ARTIUM EXPERIENTIA, REVERENDA DIGNITATE, MUNERUM MERITORUMQVE AMPLITVDINE VNDIQVAQVE CONSPICVIS.

DNN. PATRONIS, PROMOTORIBVS ET EVERGETIS OPTIMIS.

Diſputationem hanc, perpetui cultus & gratitudinis Symbolum

Submiſſè offert

Devotus cliens

Johannes Urſinus Argent.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

CUm ſuperioribus diebus, mihi de materiâ, Diſputationis inauguralis loco, proponendâ diſpiciendum eſſet, diu deliberavi, incertus animi, quam nam ex tanto ſe offerentium cum ulo potiſſimum ſeligerem: In huius enim abſtruſam & implicatam ſubtilitatem vis ingenii nimis quam obtuſi non penetrabat, & verendum mihi erat, ne, ſi eam ſuſciperem, viribus majora auſus, pondere victus oneri impoſito ſuccumberem: Illius diffuſam amplitudinem, ratio inſtituti, ſumma tantum rerum capita levi penicillo delineandi non admittebat. Sic inter dubiæ conſultationis moras aliquandiu jactatus, ſuaſu & authoritate Dnn. meorum Præceptorum (quibus non obtemperare

mihi Religio eſſet) præſentem hanc præ ceteris materiam tractare conſtitui; eoque propoſiti tenacior fui, quod ea non ab uſu remota ſit, ſed in ipſis rerum argumentis obtineat, & proinde exquiſitâ ſui commendatione nullatenus indigeat. JamqueCentones,quos ſparſim collectos (nec enim ullus, qui ex profeſſo huic materiæ operam impendiſſet, tum temporis author occurrebat.) Cum bono DEO conſarcinare & ſecundum cauſarum ſeriem digerere occœpi, in aliquot pagellas excreverant; Ecce tibi! de tractatu Dn. D. Lauterbach, quem abhinc triennium, diſputatione hoc de argumento publicè habitâ,edidit,opportunè ſub moneor: Eius veſtigia legens,telam hancce,rudi Minerva pertextam, exhibeo & æquo candidi Lectoris judicio lubens ſubmitto. Spero me à quovis cordato,erratorũ, in tanta humanæ mentis caligine nimis quam frequentium, haud difficilem impetraturum veniam; cum & ipſe præconceptam fortè opinionem non præfractè aſſerere,

ſed

ſed meliora monentibus haud invitus accedere paratus ſim. Te vero ô inexhauſte fons Sapientiæ, Deus Ter Optime maxime, te ſupplex veneror, tu menti, tu Judicio moderare, quo juſta & vera percipere, intelligere & diſcernere queam.

Thesis I.

Quoniam natura nihil absque ordine vel meditata eſt vel effecit *Scalig. exerc. 2.* & eo obſervato, cetera quæ tractantur dilucidius intelliguntur *l. 1. pr. ff. de dol. mal. & met. exc.* nobis etiam, melioris ordinis ergo, materiam hanc diſpeſcere lubet in partem generalem & ſpecialem: Sub illâ definitiones & diviſiones; ſub iſtâ cauſas, effectus, & affinia comprehendimus, de quibus ſingulis Deo clementer annuente pro ingenii modulo breviter aliquid dicturi ſumus.

Thesis II.

Ordimur autem à definitione, quæ duplex eſt, vel nominis vel rei: Prior in Etymologiâ Synonymiâ Homonymiâ & Paronymiâ cōſideranda venit. Quamvis n. non deſint qui laborem circa nominis enucleationem tanquam inanem & ſupervacaneum ſugillant, eorum tamen argumenta nos non abſterrent, quo minus jurisconſultorum veſtigiis inſiſtamus, quos (inprimis verò Coryphæum Juris *leg. 13. §. 2. ff. de excuſ. tut.* Vlpianum *arg. l. 1. ff. d. Iuſt. l. 1. §. 1. ff. de pact. l. 2. §. 2. ff. de R. C. l. 1. ff. de A. vel A. P. l. 9. ff. de V. S.*) in Etymis verborum in-

dagandis (quorum evolutione ſæpius faciliori negotio in ipſam rei cognitionem deferimur *l. 1. ff. de R C*) multum occupatos fuiſſe deprehendimus; cum & eorum quæ manifeſtiſſima ſunt, non eſſe negligendam explicationem ipſe Iuriſconſultus moneat *l. 1. §. 11. ff. de Ventr. inſpic.* vid. præter ſupr. allegatos textus *§. 3 I. de Iur. Perſ. §. 2. I. de Tutel. pr. I. de Teſtam. pr. I. de V. O. §. 2. I. de O. quæ ex delict. §. 1. I. de interd. §. 15. I. de Act. l. 1. pr. ff. de poſ. l. 7. pr. ff. de ſuppell. leg. l. 238. §. 2. ff. de V. S.*

Thesis III.

Etymologiam itaque quod attinet; de Vocum Arrha, Arrhabo (quibus Terentius, Plautus in aliquam multis locis, aliique boni commatis authores uſi ſunt) origine variæ ſunt Doctorum opiniones: *Hottomannus in comment. ad pr. I. de E. V. & l 13. C. 11.* Vocem Arrha derivat ab ære, ratione denominationis petitâ à Vett. mancipationibus, quæ imaginariâ venditione (quam Romm. olim omnibus ferè ſolennibus translationibus adhibere ſoliti ſunt. *VVeſenb. in παρ. ff. de C. E. n. 1.*) per æs & libram celebrabantur. *Iſidoro Hiſpalenſi l. 5. Etymol. 25.* dicitur à Re, pro qua dabatur: cui ſuffragatur *Remigius Epiſcopus Remenſ. in c. 1. ad Epheſ. Ioannes de Ianuâ, in ſumma Catholica*, deducit eam ab Ara, quaſi negotium, quod datis arrhis contrahitur, adeo ratum eſſe debeat, ac ſi teſtibus Diis ad aram foret factum: Eidem arrhabo dicitur quaſi arrha bona. Nonnullis placet originem earum accerſere ex Linguâ Græcâ, & vel παρὰ τὸ ἀῤῥαγὴς. quod firmum & ſtabile ſignificat; vel παρὰ τὸ ῥαιβὸς obliquus, flexus per proſtheſin τοῦ α. & ſyncopen τοῦ ι. *Robert. Conſt. in Lex Græc. voc.* Ἀῤῥαβών. Quidam denique eas formant ab Hebræorum Erabhon, quod linguæ Sanctæ Cultoribus denotat id quod datur

in pro-

in promiſſionis cautionem, quorum ſententia tanquam vero propior etiam probatur *Nobiliſs. & Conſultiſs. D. D. Rebhan, Patron. & Præcept. æternum venerando in Hodog. Iur. ch. 2. clim. 3. paral. θ. 5. in ſchol. & maximè Reverendo atq; Excellentiſsimo D. D. Dannhavver &c. in Pr g amm a hac de re perſcripto.*

Thesis IV.

Synonyma ſi indagemus, deprehendimus 1. Vocem Arrhæ *pr. I. de E.V. l. 17. C. de Fid. Inſtr.* 2. Pignoris *l. un. C. ſi rect. Prov.* 3. Arrhabonis. *Plaut. in Rud. 1. 46. Datq; arrhabonem & jurejurando alligat.* Græcis dicitur Ἀῤῥαβὼν, nobis **Gottespfenning** ſ. Sanctus denarius, qui olim quidem propriè erat pecunia quam contrahentes pauperibus vel locis ſacris largiebantur, poſtmodum autem & pro arrhâ ſumi receptum eſt *C. I. A. l. 18. t. 1. θ. 25.* **Hafftpfenning/ Hafftgab/** ab **Hafften.** quod firmiter hærere denotat. **Pfandſchilling** quaſi pignus datum in ſecuritatem negotii. *VVehn. Obſ. Pract. voc.* **Hafftpfenning.**

Thesis V.

Synonymiam excipit Homonymia. Occurrit autem harum vocũ acceptio tùm impropria tum propria: Illa eſt cum ſumuntur 1. prò quocunque fiduciæ & amicitiæ ſigno: ita dicitur arrha hæreditatis *Eph. 1. v. 14.* arrha amoris *Plaut. in mil. Glor. 11. 11.* 2. Pro pignore, ut *Terent. in Heautontim. 3. 3. 42. Ea relicta huic arrhaboni eſt pro illo argento* & *Plaut. in poen. ult. 22. Leno, arrhabonem hoc pro mina mecum fero.* 3. Pro obſide, quo in ſignificatu uſus eſt *Q. Claudius, citatus Gellio lib. 17. Noct. A. c. 2.* ubi Sexcentos obſides Samnitibus à Romanis

datos

datos grandem arrhabonem vocat. 4. Pro illa parte pretii quæ perfecto contractu ſtatim repræſentatur & nobis Das Angeld dicitur *v. l. ult. ff. ad L. Commiſſ.* ſic in loco *Plaut. in Moſtell. 7. vers. ſed arrhaboni dedit has quadraginta minas*, minæ iſtæ quadraginta, quas ſervus pro ædibus arrhæ nomine datas eſſe fingit, videntur imputari in pretium, cum in ſeqq. reliquarum octuaginta minarum quæ ad explenda duo Talenta deerant, mentio fiat. 5. Apud Hiſpanos *teſt. Covarruv. tom. 1. de matr. c. 3. §. 7. p. m. 58.* pro Donatione uxoribus ante vel poſt matrimonium contractum factâ, ut eo conſummato mulieribus ſtatim acquiratur in præmium concreditæ pudicitiæ, nec poteſt talis donatio excedere decimam bonorum mariti partem. Propria acceptio vel materialis vel formalis eſt: materialis eſt quando denotat rem ipſam ſeu corpore ſeu quantitate conſtantem & in argumentum negotii traditam *pr.* I. *de E. V. l. 17. C. de fid. Inſtr.* Formalis eſt cum deſignat ipſum contractum arrhabonicum *l. un. C. ſi rect. Prov. ib.* Arrhis fuerit obligatum *Magnif. D. D. Rebh. loc. ſupr. laud.*

Thesis VI.

Definitionem nominis claudit Paronymia: Formantur autem à voce arrha, adjectivum arrhalis *l. 3. C. de A. E.* & verbum ſubarrhare *c. ſi quis uxorem & c. ſi quis deſponſaverit. 27. q. 2*

Thesis VII.

Nominis definitionem juſtâ methodo ſequitur realis; quam ita exſtruimus: quod Contractus Arrhalis ſit Contractus verus, realis, acceſſorius, quo res cuipiam in argumentum negotii datur.

Thesis VIII.

Quamvis autem acerrima inter Dd. oriatur diſputatio,

tatio, an datio arrhæ, verorum contractuum numerum augeat interq; eos referenda ſit, & multi quidem, eam ex cenſu illorum eximendam eſſe aſſerant; longè plures tamen affirmativæ ſubſcribunt eamque verum eſſe contractum probant, quorum præcipui ſunt *Cujac. 11. O. 17. VVeſenb. in ϖ. ff. de Contr. Emp. n. 9. ibiq. Bachov. in not. lit. Q. & Hahn. in Obſerv. Bachov. in Comment. Inſt. ad pr. de Empt. Vend. gl. ad l. 17. C. de Fid.* Inſtr. *Gothofr. in not. ad l. 3. C. de A. E. lit.* I. *Pac. in Analyſ. Cod. t. quand. lic. ab Empt. diſc. n. 3. Locam. in diſp. de cauſ. act. θ. 98. Treutl. vol. 1. diſp. 28. θ. 8. Magnif. D. D. Rebhan* &c. *cit. loc.* pluresque alii, cum quibus & nos ſentimus, arrhæque dationem per contractum definiendam eſſe autumamus.

Thesis IX.

Firmamus hanc aſſertionem 1. ex *l. 17. C. de fid. Inſtr.* in qua arrharum datio expreſſis verbis contractus dicitur, interque contractus refertur. 2. quoniam arrha per ſe ſubſiſtit, nec neceſſariò ad negotium principale, tanquam pars quædam ejus eſſentialis aut naturalis requiritur, ſed ab eo diverſum quid eſt, eoque ſublato, in rerum naturâ ſuperſtes manet, & actionem producit *l. 11. §. 6. ff. d. A. E.* 3. quoniam in arrhæ datione ſubeſt conſenſus cum cauſâ: in quocunque autem negotio, conventio cauſæ conjuncta ſubeſt, ibi adeſt contractus *l. 7. §. 2. ff. de pact. D. D. Tab. in jurispr. Elem. p. 3. ſ. 3. θ. 41.*

Thesis X.

Fundamenta quibus negantium opinio fulcitur potiſſima ſunt hæc. 1. quòd vocabulum contractus aliquando ſumatur latius & impropriè, ut ſub ambitu ſuo

comprehendat ea quoque negotia quæ contractuş propriè ſic dicti nomine non veniunt *l. 49. ff. de O. & A. l. 16. de neg. geſt. l. 9. ff. de duob. rei. ſtipul.* & quod vocabulum contractus in *l. 17. C. de fid. Inſtr.* impropriè accipiendum ſit, probant ex eo quod ibidem donatio inter contractus referatur, quæ cum verus contractus non ſit, ſed pactum legitimum *§. 2.* I. *de don. l. 35. §. ult. C. de don. Nov. 162. c.* 1. ſequitur arrhæ dationem eodem plane modo contractum eſſe dicendam. Sed Reſpondemus 1. Vocabula ſemper, quatenus id fieri poteſt, accipienda eſſe in proprio & famoſiori ſuo ſignificatu *arg. l. 7. §. 3. ad SC. Maced.* niſi vel expreſſus textus vel evidens ratio contrarium ſuadeat, qualis hic nulla occurrit. 2. Nec argumentum à donatione petitum validum eſſe; quamvis enim libenter concedamus, donationem non eſſe contractum propriè ſic dictum, id tamen quod ex eo infertur negamus: Nulla enim ſequela eſt: Vox Contractus in *l. 17.* de donatione prædicatur impropriè; E. eodem modo de ceteris negotiis ibidem enumeratis (in ſpecie de arrhæ datione) accipienda eſt; hoc enim conceſſo, nec Emtio, nec permutatio, quæ ibi recenſentur veri contractus dicendi eſſent, quod nemo ſanus unquam affirmaverit. Poſſet inſuper dici, donationem eſſe propriè ſic dictum contractum, quatenus id de unâ ejus ſpecie, donatione nempe propter nuptias prædicatur *Nov. 119. c. 1.* & quam hodie inſinuare non eſt neceſſe *d. N. 119. c. 1.* quantacunque etiam ſit; quantum ſc: commodum mulieris attinet: quamvis vir, ſi dotem ad illius partem lucrari velit, opus habeat inſinuatione. *D. D. Bicc. in A. S. 3. θ. 53. in Schol. Nov. 127. c. 2.*

THESIS XI.

Secundum pro negativâ argumentum eſt, quod in arrhæ

arrhæ datione non ſubſit expreſſus obligandi conſenſus, cum ea tantum in hoc detur, ut negotium evidentius probari poſſit, & licet interdum alter acceptum duplicatum reſtituere aut datum amittere cogatur, id tamen non veniat ex vero contrahentium conſenſu, ſed partim ex ipſâ Legis diſpoſitione, partim ex præſumtâ eorum voluntate, ſicut & in ceteris quaſi contractibus. Ad hoc regerimus, maximam eſſe differentiam inter arrhæ dationem & alios quaſi contractus: in illâ requiritur ut dans, ſe rē arrhæ nomine dare, accipiens vero ſe eam hoc nomine accipere verbis vel facto exprimàt, ſecus enim arrhæ contractus non celebraretur, quod & ipſi diſſentientes fatentur: imò nec opus eſt expreſsâ conventione de arrhâ reſtituendâ aut lucrandâ, cum ipſa negotii hujus natura illud exigat. Simile quid obtinet in pignore (quod verum eſſe contractum nemo inficias ibit) ubi res datur in crediti ſecuritatem, quæ, etſi nihil expreſsè conventum ſit, debito ſoluto reſtituenda eſt, ipsâ Lege ſic diſponēte: Et poteſt quòq; creditor, debitore non ſolvente rem vendere, ſibique de pretio ſatisfacere, quamvis ne verbulo quidem ejus facta fuerit mentio *L. 4. ff. de pign. act.* Pariter in Emtione, Venditor de evictione tenetur, utut partes de hac nihil expreſsè pactæ ſint *l. 6. C. de Evict.* In quaſi contractibus autem ſecus ſe res habet, & nimirum hic alterutrius conſenſus nō adeſt ſed eatenus adeſſe præſumitur, quatenus alter conſenſurus intelligitur, ſi negotium geri non ignoraret. Verbi gratiâ is cujus negotia geruntur non conſentit, cum rem ſuam agi ignoret, quod ſi enim ſciat, non negotiorum geſtorum, ſed mandati actio ex vero contractu naſcitur *l. 6. §. 2. ff. mand.* ſic pupillus omnia quæ videt ignorat *l. 1. C. de fals. mon.* adeoque nec ejus aliquis verus conſenſus quoad tutelæ admini-

miniſtrationem adeſſe poteſt; quod & in hereditatis aditione & rerum communione obtinet, cum ſæpius iis obligemur, quibuscum nunquam contraximus, quosque ne natos quidem fando percepimus.

Thesis XII.

Nec obſtat 3, quod etiam pacta contractibus adjecta, diverſum quid ſint ab ipſis contractibus, nec tamen exinde veri contractus fiant. Quoniam pacta omnem vim & virtutē ſuam à contractibus mutuantur, & contractu ſublato nec ipſa ſubſiſtunt: Alia verò arrhæ dationis natura eſt, quæ, etiam principali negotio non ſecuto, actionem producit, qua agitur interdum ad ſimpli; interdum ad dupli reſtitutionem.

Thesis XIII.

Multò minus officit, quod in jure noſtro nomen contractus hujus expreſſè non reperiatur, id enim ex eo factum eſt, quod Compilatores de hoc contractu acceſſorio non ex profeſſo ſed tantum incidenter egerint; Interim tamen cum *in l.3. C. de A.E.* pacti arrhalis mentio fiat, nihil prohibet ſimiliter contractum hunc arrhalem ſeu arrhabonicum nominare. Et quodnam mutui nomen in Jure invenimus præter certi condictionem? quod & aliis in perſonam actionibus competit.

Thesis XIV.

Nec denique pro negativâ facit, quod contractus acceſſorii non induant naturam principalium contractuum, ſed propriam producant actionem, & tamen ad id, quod ex arrhæ datione præſtandum eſt, competat actio principalis v. g. Emti *l. 11. §. 6. de A. E.* Reſponderi enim poteſt: aut ex *d. l. 11. §. 6.* non probari Ulpianum ejusdem cum Juliano Sententiæ fuiſſe, ſed potius

cum

eum Juliani Sententiam ſimpliciter & narrativè referre, cum in *verſ. certè etiam &c.* ipſe propriam proponat ſententiam. Aut cum *D. Hahn. in Obſ. ad VVeſenb. π. d. l.* diſtinguendum inter certam ſummam arrhæ nomine datam quæ poſtmodum in pretium imputetur, & hoc caſu dari actionem ex Emto, quia ſumma iſta jam videtur pretii pars eſſe facta; & inter ſpeciem v.g. annulum datum, & hunc tantum condictione repeti poſſe. Quod & clariſſimè patet ex *l. 2. C. quand. lic. ab Emt. diſced.* ubi aurum arrhæ nomine datum repetitur condictione, non vero actione ex Emto, qua non agitur ad id reſtituendum quod datum eſt, ſed ad implendum contractum *l. 11. §. 1. ff. de A. E.*

Thesis XV.

Tandem circa diviſionem: putamus nullam veram arrharum diviſionem in jure occurrere tanquam generis in ſpecies: niſi velimus diſtinguere inter eas, quę accedunt Sponſalibus, quę & Sponſalia vocantur in *rubr. C. ſi rect. Prov. & l. 1. C. ſi nupt. ex reſcr.* item arrha thori der Mahlſchatz: & inter eas quæ accedunt Emtioni aliisq; negotiis. Aut ex *pr. I. de Empt.* & *l. 17. C. de fid. Inſtr.* inter eas quæ adjiciuntur negotio contracto, aut in poſterum contrahendo. *D. D. Lauterb. de arrh. θ. 30.*

Thesis XVI.

Generalibus utcunq; propoſitis, nunc de ſpecialibus agendum erit, cauſis ſc: & effectibus: Cauſarum aliæ ſunt externæ; aliæ internæ: Illę ſunt Efficiens & Finis, hæ vero Materia & Forma, de quibus ſigillatim breviter diſpiciamus.

Thesis XVII.

Originem & uſum Arrharum vetuſtiſſimum eſſe, nemo facilè negaverit, qui non ignorat eas ab Antiquis

tum negotiis aliis, tùm præcipuè amicitiæ & matrimonio ſanciendo adhibitas fuiſſe: Nam & ex Hiſtoriâ ſacrâ patet, diſpenſatorem Abrahæ donaſſe Rebeccæ inaures, vaſa argentea, & veſtes *Gen. 24. v. 30. & 53. VVeſ. in ϖ. ff. de Sponſ. n. 5.* Et Alexandrum Aſiæ Regem, Jonathæ ſummo Judæorum Pontifici fibulam auream, amicitiæ ſymbolum transmiſiſſe *1. Macab. 10. v. 89.* Apud alias quoq; gentes uſum quendam Arrharum vel munerum arrhis ſimilium obtinuiſſe indubium eſt: Hinc apud *Homer.* plurimis in locis mentio fit donorum ejusmodi, amicitiæ conciliandæ hinc inde datorum: ut *Iliad. Z. v. 218. & v. 235. Il. N. v. 303. Odyſſ. Δ. v. 600. & Odyſ. I. v. 201. Odyſ. N. v. 13.* Similiter apud Tacitum *l. 1. h. c. 54.* Civitas Lingonum, dextras hoſpitii inſigne miſit Legionibus Romanis. Thurii, *teſte Theophraſto citato à Cujac. l. 11 O. 17.* hac Lege arrhas dabant, ut Emptor à contractu recedens eas perderet; venditor vero ſi conventis ſtare detrectaret, tantum reſtitueret, quantum verum eſſet pretium.

THESIS XVIII.

Statuimus itaq; Arrharum cauſam efficientem remotam, Jus Gentium *arg. §. 2. I. de Inſt. & Iur. & l. 5. ff. eod.* cui ſucceſſit jus Civile, quod contractum hunc in Remp. Rom. adoptavit, veriſimiliter cum Emtione Venditione, & tractu temporis ad alios quoque actus ejusmodi ſolennes, qui mediante emptione celebrabantur extendit *Magnif. D. D. Rebhan* &c. *loc. ſup. laud.*

THESIS XIX.

Efficiens propinqua eſt conſenſus utriusque contrahentium, ita ut tàm dans, quàm accipiens in contractum hunc conſentiat arg. *l. pen C. de Sponſ.* In omni enim contractu dominii translativo ex utrâque parte contrahentium requiritur affectus *l. 55. ff. de O. & A.* Proxima eſt ipſa traditio; cum enim contractus hic realis

ſit,

ſit, ultrò apparet, nudum conſenſum nil operari, ſed actuali ſimul traditione opus eſſe.

THESIS XX.

Poſſunt autem omnes contractum hunc celebrare qui non prohibentur *arg. l. 28. §. 2. ff. ex quibus cauſ. major. l. 1. §. 1. ff. de teſtib.* Prohibentur autem 1. quorum nulla voluntas eſt & intellectus, ut ſunt infantes, furioſi, prodigi. *l. 40. ff. de R. I. §. 10. I. de inut. ſtipul.* 2. qui negotium, cujus cauſâ arrha intervenit, non rectè gerunt, v. g. minor cum contrahere, curatoris conſenſu deſtitutus, nequeat, fruſtra arrham dat: Et impubes infra ſeptimum ætatis annum conſtitutus, cum Sponſalia celebrare prohibeatur *l. 14. ff. de Sponſ.* nec datis arrhis ſe obligat.

THESIS XXI.

In ſpecie arrhas dant & accipiunt, Emtor, Venditor *l. 11. §. 6. ff. de A. E. l. 35. pr. ff. de C. E.* Inſtitor *l. 5. §. 15. de Inſtit. Act.* niſi tamen ei mandatum ſit, ut præſenti pecuniâ venderet: Tutor, Curator, Procurator, nomine pupilli, minoris, mandantis *l. pen. C. de Sponſ.* Sponſus & ejus parentes *l. 3. l. pen. C. de Sponſ. l. un C. ſi rect. prov.* De Sponſâ dubium oritur, an & ea arrhæ nomine donare quid poſſit: quamvis autem id plurimi negent de Iure Civili *arg. l. 38. pr. ff. de R. Nupt. Cujac. 4. O. 26.* & tantum de hodierna conſuetudine admittant *C. I. A. l. 23. t. 1. θ. 10.* verior tamen nobis videtur ſententia *Bachov. in not. ad ϖ. VVeſ. ff. de Sponſ. n. 5. lit. I.* quod interdum (licet rarius *arg. l. 16. C. de donat. ant. nupt.*) arrhæ datæ fuerint à Sponſâ, ſeu ejus parentibus *l. pen. C. de Sponſ. verſ. quæ omnia ſimili modo* &c. *l. 16. C. de Epiſc. aud. D. D. Lauterb. in tr. de Arrh. θ. 37.*

THESIS XXII.

Interdum quoq; ultro citroq; arrhæ dantur *VVeſ. in ϖ. ff. de Sponſ. n. 5.* quod etiam liquet ex præcipuo arrharum

rharum fine, negotii ſc. probatione, qui cum exiſtat, ex unâ tantum parte arrhis datis,eum impediri, ſi utrinq; dentur, rationem nullam videmus: Accedit quod donationē arrharum utrinq; factam, nullo in textu invalidam pronunciari deprehendamus, ſed leges indiſtinctè contrahentibus arrhas dare permittant: & hoc in caſu reſiliens non tantum amittit datas,ſed & acceptas in duplo reſtituit juxta tamen diſtinctiones inferius ponendas. *D. D. Lauterb. θ.40.*

THESIS XXIII.

Finis Arrharum eſt, tum ut negotium evidentius probent. *l.35.ff.de C.E.* tum ut ſint argumentum & ſymbolum in oculos incurrens negotii contracti vel contrahendi *pr. I. de E.V. l.17. C.de fid.Inſtr.* quo dans demonſtret ſe ſerio & deliberato animi propoſito ad contrahendum acceſſiſſe; accipiens autem tanto majorem alterius dictis fidem habeat, qui mentem non ſolum verbis, ſed & re aliquâ inſuper datâ, ſatis evidenter explicavit; tum etiam ut præſentes clarius cognoſcere poſſint negotium geſtum eſſe.

THESIS XXIV.

Sed ut de hoc fine conſtet, voluntas vel verbis expreſſis vel ſignis ęquipollentibus declaranda erit; alias enim v. g. anuli vel aliæ res donatæ non probant Sponſalia *c. 10. extr. de ſent. & re jud.* quia talis donatio etiam ob alias cauſas fieri poteſt *l.36. ff. de don. int vir. & ux.* nec anuli oblatio certum pro matrimonio argumentum præbet *c. 11. extr. de præſumt. C. I. A. de Sponſ. n. 10.* & quod dicitur: arrham probare contractū per bonam conſequentiam, & ſubarrhationem probare contracta Sponſalia *Barboſ. l. 1. Ax. 80.* Id intelligendum eſt ceteris paribus, ſi ſc. de negotio jam actum fuerit, aut alia appareant ſigna, ex quibus conſenſus partium haud obſcurè poſſit colligi. ut cū v. g. mulier ad verba viri de matrimōio pręvia tacens mun⁹ ejusmodi arrhæ nomine accipiat, tum de-

demum præſumtio contra illam oritur, ut neganti juramentum imponi poſſit. *D. Hahn. in obſ. ad VVeſ. tr. ff. d. Sponſ. n. 6. verſ. plerumq; tamen* : *v. D. Lauterb. de Arrh. θ. 93. & 94.* ſin a: dubium oriatur, utrū anulus Sponſaliorū an v. matrimonii intuitu datus ſit, judicis erit ex conſuetudine patriæ & circumſtantiis litem decidere: *c. 1. extr. de matr. contr. contr. interd. eccl.* Pariter in Emtione, pecunia, pretii potius quam arrhæ nomine data eſſe, in dubio præſumitur.

THESIS XXV.

Materia Arrharum eſt vel ſubjectiva vel objectiva: illa ſunt negotia quorum intuitu arrhæ dantur, non quod arrhæ neceſſariò ad ejusmodi negotia requirantur, quaſi absq; iis vitientur; ſed tantū majoris probationis cauſâ *l. 35. pr. ff. de C. E.* Adjiciuntur autem 1. Sponſalibus, iisq; non tantum de futuro *l. 3. l. pen. C. de Sponſ.* (qualia Iure Civili omnia erant *VVeſ. in tr. ff. de Sponſ. n. 3.* ſed & de præſenti; quin & in ipſâ ſacerdotali benedictione, cum perſonæ deſponſatæ ſolenniter conjunguntur, intervenire ſolent *c. fœminæ 30. q. 5.* 2. Emtioni venditioni *leg. ult. ff. ad L. Commiſſ. Magnif. D. D. Rebhan loc. ſupr. laud.* 3. Locationi conductioni, *arg. l. 2. pr. ff. locat. pr. I. eod. Cujac. 11. O. 17.* qui tamen ſibi ipſi contrarius eſt in *l. 4. O. 26.* 4. Mandato *l. pen. C. de Sponſ. verſ. vel aliam perſonam* : ſic moribus noſtris, Procuratores cum conſtituuntur, certū quid, arrhę nomine exigunt *Geil. 1. O. 151.* quod dicitur das Beſtellgelt. 5. Etiam aliis addi poſſunt contractibus v. *D. D. Lauterb. θ. 48.*

THESIS XXVI.

Materia objectiva ſunt res, quæ arrhæ nomine hinc inde donantur; & cum in hoc contractu vera rerū traditio requiratur, quæ in incorporalibus ceſſat, *§. 41. I. de Rer. div.* ſolas res corporales in hunc contractum cadere, vero conſentaneum eſt. *D. D. Lauterb. θ. 56.* nec mul-

tum intereſt cujus generis ſint; Dantur enim non tantum res in quantitate conſiſtentes *l. ult: ad L. Commiſſ. l. 11. §. 6. ff. de A. E.* verùm etiam ſpecies; quod evincit tùm *l. 11. §. 6. ff. de A. E. & l. 5. §. 15. ff. de* l. *Act.* ubi anuli arrhæ nomine dati mentio fit; tùm hodierna conſuetudo, qua ut plurimum ſpecies, v. g. armillæ, catenæ aureę, anuli dantur, & horum quidē uſus, tàm in Emtionibus, *d. ll.* quàm in Sponſalibus contrahendis, præcipuus atq; frequentiſſimus eſt, *c. noſtrates c. fœminæ 30. q. 5. c. 11. extr. de præſunt.* ita ut ferè hodie ſolenne ſit ſponſis, ſponſas ſibi per anulos ſubarrhare, *Ganfred. in ſum. decret. de deſponſ. impub. circ. fin.*

THESIS XXVII.

In arbitrio quoque contrahentium poſitum eſt, quantam velint arrham conſtituere, licet plerunque res exigui valoris dentur: Et de contractibus quidem lis perorata eſt, *v. infr. θ. 38.* quoad Sponſalia vero Dd. in diverſas ſecedunt opiniones, nam *Paul. Imol. Angel. Iaſ. in l. Iubemus C. de repud.* contendunt, arrharum quantitatem non poſſe excedere dotis vel donationis propter nuptias ſummam: Alii vero pro affirmativâ calculum ponunt, ſc: arrhas in quacunque quantitate conſiſtere poſſe, *Covarr. tom. 1. p. m. 58.* cui opinioni & nos ſubſcribimus, ob *l. pen. C. de Sponſ.* aliosq; textus, generaliter & indiſtinctè loquentes, & quod nulla lex proferri poſſit, quæ arrhas certæ quantitatis cancellis includat.

THESIS XXVIII.

Nec dicendum eſt, aſſertione hac eludi diſpoſitionem *L. pen. C. de Sponſ.* quâ pœnales ſtipulationes, tanquam libertati matrimoniorum contrariæ, improbantur, perinde autem erit, utrum quis timore reſtitutionis duplicatarum, aut amiſſionis arrharum fortè ſatis grandium; an vero pœnæ promiſſæ, adſtringatur ad implendum matrimonium: quo tendit *Bachov. in not. ad*

VVeſ.

VVeſ. tr. ff. de Sponſ. n. 6. lit. L. nam reſponderi poteſt 1. homines facilius induci ad poenæ promiſſionem, quæ nullam ab initio pecuniæ præſtationem, ſed ſolam promittentis voluntatem requirit in incertum fortaſſe eventum, & ita ſæpiſſimè maximum incurrere damnum, ſi conditio, promiſſioni appoſita, extiterit, *v. l. 4. ff. ad SC. Vellei.* In arrharum autem dationem, ubi verâ ſtatim rei traditione opus eſt, non tàm facile absq; ullâ præmeditatione conſentire. *D Hahn. in not. ad VVeſenb de Sponſ. n. 6. verſ. de præſtandâ certâ pœna.* 2. Regeri poteſt, pœnas toto ſui genere odioſas & in hoc unicè inventas eſſe, ut homines ad debita vel promiſſa ſervanda aſtringantur; adeoq; incongruum videri, maximam amiciciarum, conjugalem ſc: fidem, inviſo iſtius modi & quaſi violento vinculo, cohiberi: Arrhas vero principaliter ob majorem negotii probationem intervenire, quę cum matrimonii libertati nullatenus contrariæ ſunt, facilius etiam eas in contrahendis ſponſalibus admiſſas eſſe, quamvis interdum ex poſt facto quis eas amittere aut duplicatas vel quadruplicatas reſtituere teneatur. *D. Lauterb. θ. 52.*

THESIS XXIX.

Forma contractus hujus interna eſt ipſa rei traditio: Cum enim contractus reales ſine traditione rei ne fingi quidem poſſint, etiam hîc rem intervenire omnimodo neceſſe eſt, quod & probatur *l. pen. C. de Sponſ.* quæ tantum de arrhis realiter datis loquitur: Et quidem ut res tradatur ad majorem negotii probationem: Hinc contractus arrhabonicus non ſtatim interveniſſe præſumendus eſt, cum v. g. in Emtione pars pretii repræſentatur: quamvis enim arrha, ſi conſiſtit in pecuniâ numeratâ, aliquando in pretium imputari poſſit & ſoleat *l. ult. ff. ad L. Commiſſ.* illud tamen planè per accidens fit & pratèr naturam hujus contractus, cujus

eſſentia plane ſecreta eſt à negotio, cui adjicitur *Magnif. D. D. Rebh. d. loc.* quod & evidentiſſimè patet ex *l. 2. C. quan. lic. ab Emt. diſc.* ubi de arrhâ & parte pretii, tanquã diverſis, diverſa prædicantur: quod nim. arrhâ datâ, ad ejus reſtitutionem; parte vero pretii ſolutâ, ad ea quæ venditorem ex venditione facere oportet, agendum ſit. *v. Pac. in Analyſ. Cod. h. t. n. 3. D. D. Lauterb. θ. 31.*

THESIS XXX.

Forma externa conſiſtit in variis ſolennitatibus circa arrhas adhibitis: In ſponſalitiis præprimis, olim obtinuit, teſt. *Plin. l. 33. nat. hiſt. c. 1.* ut ſponſus ſponſæ anulum ſine gemmâ, ſignum ſc: veteris frugalitatis daret, & hoc ſolo virgines deſponſatæ utebantur: *Iſid. l. 20. Etym.* qui & *lib. 2. de div. Offic.* rationem aſſignat cur in ſponſalibus maximè anulus detur, ut nim. ſit ſignum mutuæ fidei & dilectionis, vel ut eodẽ pignore deſponſatorum corda jungantur, qua de cauſa etiam quarto ſeu medicinali, lævæ manus, digito inſerebatur, quod in eo venam quandã ſanguinis ad cor usq; pervenire perſuaſum erat *c. fæmina* 30. *q. 5.* quod tamẽ à recentioribus Medicis in dubium vocatur, hodie inſeritur indici *C. I. A. l. 23. t. 1. θ. 10.*

THESIS XXXI.

Actum hactenus eſt de cauſis tàm externis quàm internis: ſequuntur nunc juſto ordine effectus, quorũ alii ſunt primi, alii orti: Illi duplicis ſunt differentiæ, vel enim concernunt rem arrhæ nomine datam; vel negotium, cujus cauſâ arrha intervenit. Et ibi quidem 1. ſi res data ſit dantis propria, accipiens ejus dominiũ nanciſcitur, jure tamen Civili revocabile, quatenus ita abſolutè & in Theſi conſideratur, absq; reſpectu pœnitentiæ: Emptor enim perfecto negotio, vel eo, mutuo conſenſu non ſecuto, arrham reſtituit, aut (priori caſu,) ſaltem in pretium imputat, ſi conſiſtat in pecunia numerata

ratâ *l. 11. §. 6. ff. de A. E. l. ult. ff. ad L. Commiſſ.* Sponſa itidem arrhas reddit vel donationi propter nuptias computat *Pac. in Analyſ. Cod. de Sponſ. n. 3. C. I. A. de Sponſ. θ. 10. inf.* quamvis hodierna conſuetudo contrarium obſervet, deprehendimus enim ſervos & ancillas arrhas acceptas retinere: Sponſas etiam res arrhæ nomine datas, ſecutis nuptiis non reſtituere, ſed plenè lucrari.

Thesis XXXII.

Quod autem arrhæ datione, dominium in accipientem transferatur, plerique textus probant, in quibus arrharum mentio occurit, ubi plerunq; arrha dari dicitur, quod dominii translationem importat *l. 29. §. fin. ff. de V. O. l. 167. de R. I. §. 14. I. de Act.* Præprimis firmat hoc *l. 11. §. 6 ff. de A. E.* ubi arrham repetenti condictio datur: quamvis enim condictio latius ſumta, ambitu ſuo omnes in perſonam actiones complectatur *§. 15. I. de Act.* propriè tamen & ſpecialiter eas tantum denotat actiones in perſonam, quas non dominus adverſus dominum intendit *arg. §. 14. I. de Act. verſ. planè* &c. ubi dicitur, odio furum receptum eſſe ut dominus poſſit iis rem ſuam condicere. E in aliis, condicens non amplius eſt dominus, cum aliàs nihil ſpeciale in furibus obtineret. *v. l. ult. ff. uſufr. quemad. cav. & Fransk. exerc. 13. q. 5.*

Thesis XXXIII.

Sin res arrhæ nomine tradita, aliena ſit, tum, ceteris paribus, accipiens uſucapiendi conditionẽ conſequitur: licet enim in hoc contractu id agatur ut dominium transferatur per not. *θ. præced.* adeoq; ad ejus eſſentiam dominii translatio requiratur; ad ejus tamen ſubſiſtentiam ea præciſè neceſſaria non eſt, ſed ſufficit, rem ita tradi, ut poſſit uſucapi: quod & in aliis obtinet negotiis in quibus dominii translatio requiritur, & uſucapionem tamen (quæ rem alienam præſupponit) locum in

iis habere, patet ex tit. pro donato, pro Emtore & ſimilibus *v. D. D. Franſk. de Evict. n. 432.*

Thesis XXXIV.

Ex dictis apparet, rem accipientis periculo eſſe, cum ipſe Dominus ſit, cui res perit *v. l. 6. ff. de naut. foen. l. 29. ff. qui & à quib. manumiſ.* niſi certa ſpecies data ſit, ejus enim interitum & damnum non cogitur ſubire, ſi non fraudulenter in eâ verſatus, aut ex morâ ejus damnum ortum ſit, aut aliqua ejus culpa argui poſſit *l. 5. ff. de R. C. l. 91. pr. ff. de V. O.* & intelligimus culpam hic levem, quę regulariter in iis pręſtatur contractibus, in quibus utriusque contrahentium utilitas verſatur, *§. ult. I. quib. mod. re contr. obl.* & quidem eam in gradu ſummo, exemplo pignoris *l. 13. §. 1. ff. de pign. act.* quo cum contractus hic in multis coincidit: ſi vero quantitas data ſit, omnino ejus periculo perit, *l. 1. §. 4. de O. & A. D. Lauterb. θ. 134.*

Thesis XXXV.

Poſſeſſionem 2. Accipiens acquirit & quidem veram, quoniam rem datam detinet, affectione & animo ſibi habendi, quæ formalis ratio poſſeſſionis eſt *l. 1. §. 20. l. 18. pr. ff. de A. vel. A. P. C. I. A. h. t. θ. 4. n. 4.* quorum omnium conſequens eſt, accipientem, quoad juſtè poſſidet, fructus ex re datâ percipere, *l. 13. §. 21. ff. de A. E. l. 2. §. 4. ff. pro Emt.* eamque alienare, & ſi amiſerit poſſeſſionem, rei vindicatione *l. 66. de R. V.* vel Publicianâ actione recuperare poſſe.

Thesis XXXVI.

Quoad effectus negotia ipſa concernentes, diſtinguendum erit, utrum negotium ad ſui perfectionem deductum ſit; an vero non: Si perfectionem non fuerit

rit nactum, illud factum eſt aut mutuo partium conſenſu; aut ſine eo: Si mutuus contrahentium conſenſus in cauſa fuit; ut cum v. g. partibus placuerit à conventis recedere, tum dans arrham recipit, accipiens autem ſimplum reſtituit. Idem obtinet ſi negotium quidem perfectum fuerit, ſed poſtea inter partes convenerit, ut irritum fieret *l. 11. §. 6. ff. de A. E. l. 2. C. quan. lic. ab Emt.* & reſtituenda quidem res eſt, cum omni cauſa & fructibus, *arg. l. 5. pr. ff. de in diem addict.*

Thesis XXXVII.

Negotium absque mutuo contrahentium conſenſu perfectum non eſt, aut alterutrius facto interveniente, aut absque ullo facto: ibi advertendum erit, utrum reſiliens major ſit, an vero minor. Si facto minoris negotium ad exitum deductum non ſit, quamvis nullam pœnitentiæ cauſam obtendat, tamē arrhas acceptas tantum reſtituit, datasque repetit, ſive ipſe contraxerit, ſive nomine ejus curator *leg. 5. pr. C. de Sponſ. verſ. in ſimplum* &c. Parentes tamen vel avus & avia legitimæ ætatis, ſi pro filio filiâve vel nepte arrhas receperint in duplum tenentur. *d. l. 5. pr. C. de Sponſ. verſ. Patrem* &c.

Thesis XXXVIII.

Si vero reſiliens major ſit, aut veniam ætatis impetraverit *d. leg. 5. pr. C. de Sponſ.* diſpiciendum erit, quamnam reſiliendi cauſam proferat, prægnantem ne & gravem; an vero frivolam: Si absq; ponderoſâ ratione contractum implere nolit, & voluntatem vel verbis expreſſis vel facto ipſe declaret, ut cum quis v. g. prædium emit eâ lege, ut niſi ſtato tempore pretiū exſolvat, res eſſet inempta & arrha apud venditorem maneret *l. 1. C. de pact. int. Emt.* & die ſolutioni præfixâ pretium non nu-

me-

merat, arrhas ſi quas dedit, perdit, ita ut accipiens pleno jure & irrevocabiliter earum dominium acquirat *leg. 6. pr. ff. ad L. Commiſ.* Si vero accepit & nil ſpecialiter de iis conventum eſt, in duplum tenetur *l. 17. C. de fid.. Inſtr. verſ. licet non* &c. in quo duplo ipſa res arrhæ nomine data, continetur *l. 5. pr. C. de Sponſ. Bartol. ad h. l. 5. p. 7.* Si vero de certâ ſummâ convenerint partes, ea præſtanda venit, niſi in ſponſalibus quadruplum excedat *d. l. 5. pr. C. de ſponſ. verſ. niſi ſpecialiter* &c. In Emtione enim & aliis contractibus majorem quadruplo ſummam promitti, nil eſt quod impediat, cum etiam in his negotiis liberum ſit quantamcunq; ſtipulari pœnam *l. 38. §. 17. de V. O.* non tamen ultra legitimum uſurarum modum *l. 16. C. de uſur.*

Thesis XXXIX.

Fallit tamen hæc Regula in ſponſâ provinciali, quam, adminiſtrans officium quoddam in iſtâ Provinciâ, datis arrhis ſibi deſponſavit, quæ, ſi poſtmodum in nuptias conſentire nolit, præter arrham acceptam nil reſtituit *l. 38. ff. de Rit. Nupt.* Pariter Rector Provinciæ vel ad eum pertinentes ſi ſponſaliorum nomine mulieri cuidam arrhas obtulerint, quæ poſtmodum durante officio iſtis nubere detrectat, arrhas nequeunt repetere, cum metus interveniſſe preſumatur: Finito tamen officio ſi ea conſentiat, matrimonium conſummare non prohibentur, *leg. un. C. ſi rect. Prov. v. D. D. Bicc. in A. p. m. 69. & 70.*

Thesis XL.

Egimus hactenus de eo, qui absque juſtâ cauſâ reſilit à negotio, videndum jam eſt de illo qui juſtam pœnitentiæ cauſam profert: quæ quidem cauſa aut jam extitit cum partes contraxêre, aut poſtea ſupervenit: ſi tem-

pore

pore tontractus extitit, eamque reſiliens novit, arrhas datas amittit, acceptarũ vero duplum reddere cogitur, *l.5. C. de Sponſ. verſ. ſi quidem probatum &c.* Si quis enim v. g. cum perſonâ impudicæ converſationis aut diverſæ ſectæ, ſponſalia ſciens celebraverit, non impune recedit, ſed amiſſione arrharum aut duplicatarum reſtitutione punitur. Cur enim improbet mores ejus perſonæ, quos ipſe ante aut corrupit, aut poſtea probavit? *l. 47. ff. ſol. matr.* incumbit tamen alteri parti probatio reſilientem hæc non ignoraſſe, *d. l. 5. verſ. ſi quidem probatum C. de Sponſ.*

Thesis XLI.

Sin pœnitens ignoraverit, aut cauſa negotio perfecto demum emerſerit, impunè recedere licet, & dans præter arrham ipſam nihil repetit, accipiens ſimpli reſtitutione officio ſuo fungitur, *d. l. 5. C. de Sponſ. D. Lauterb. θ. 157.*

Thesis XLII.

Et tantum de caſu ubi alterutrius facto negotium impeditum fuit: Sequitur nunc ſi abſque partium facto impedimentum aliquod negotio extrinſecus obſtet: Et hîc neuter incurrit pœnam, ſive impedimentum tempore contractus adfuerit ſive ſecutum ſit, ſed dans repetitionem habet, accipiens ſimplo reſtituto liberatur, *d. l. 5. C. de Sponſ.* Hinc in *l. 3. C. de Sponſ.* ubi datis arrhis ſponſus aut ſponſa deceſſerint, ultrà arrhas nil reſtituitur, quoniam neuter in culpa hæret: nec etiam intereſt utrum ab ignorantibus an verò ſcientibus contractum ſit, ut cum quis v, g. rem religioſam, ſacram vel aliàs commercio exemtam emerit, aut cognatam, quam Legibus ducere prohibebatur, ſibi deſponſaverit; ob *L. 5. C. de Sponſ.* genericè & indiſtinctè loquentem: & quamvis peccet qui contra Leges ſciens contrahit, ob id tamen

non ſtatim arrharũ jacturâ plectendus eſt, cum ipſi culpa non poſſit imputari, ob quam negotium poſtmodũ ſucceſſu caruit, nam licet vel maximè placitis ſtare non recuſaret, Lege tamen prohiberetur. *D. Lauterb. θ. 151.*

THESIS XLIII.

Secuto denique negotio v. g Emtione, cui arrha acceſſit, danti eandem accipiens reſtituet *l. 11. §. 6. ff. de A.E.* aut ſi conſiſtat in pecunia numerata, eam pro parte pretii, altero volente, retinere poterit, *l. ult. ff. de L. Commiſſ.* Eodem modo ſponſalitias arrhas, nuptiis ſecutis mulier reſtituet, vel ſaltem in donationem propter nuptias imputabit, *C. I. A. de Sponſ. θ. 10.* quamvis hodierna conſuetudine accipiens arrhas ut plurimum lucretur, de qua ſupr. *θ. 31.*

THESIS XLIV.

Negotium tamen, arrhâ datâ in priori ſtatu permanet, nec eo ipſo (quamvis jam fuerit perfectum.) integrum eſſe deſinit: Arrha n. non eſt de ſubſtantiâ contractus, ſed ad majorem rei geſtæ vel gerendæ probationem adhibetur, *l. 35. ff. de C. E.* Hinc licet in contractu emtionis arrha intervenerit, is tamen mutuo partium conſenſu diſſolvi poteſt *l. 2. ff. de Reſc. vend.* Si enim res non ſecuta h. e. pretium non ſolutum aut v. g. fundus traditus eſt, interque partes placuerit ab emtione recedere, invicem liberantur, *§. ult.* I. *quib. mod. re contr. oblig.*

THESIS XLV.

Docet hoc diſertè *l. 2. C. quan. lic. ab emt. diſc.* in quâ Impp. Dioclet. & Maximian diſtinguunt inter emtionem eam quæ adhuc integra eſt, & eam quæ integra eſſe deſiit: Illo caſu emtio (licet ei arrha acceſſerit.) ſolo conſenſu diſſolvi & arrha repeti poteſt, quod ſane negotium adhuc integrum præſupponit: Poſteriore v. ca-

ſu ubi ſc : pars pretii ſoluta & ita res non amplius integra eſt, *l. 2. ff. de Reſc. vend.* ad condicendam ſolutam pretii partem non datur condictio, ſed actio ad ea quæ venditorem ex venditione præſtare oportet, de quibus *in l. 11. §. 1. ff. de A. E. v. Magnif. D. D. Rebh. d. l. pag. 530.*

Thesis XLVI.

Diſtinguunt quidem nonnulli inter quantitatem ſeu certam ſummam, & inter ſpeciem arrhæ nomine datam: & de poſteriore tantum, aſſertionem noſtram admittunt, negotium ſc: in prioribus ſubſiſtere terminis: Ubi vero quantitas intervenit, rem non amplius integram eſſe autumant, *Gothofr. in not. ad. L. 2. C. quan. lic. ab emt. diſc. D. Hahn. in O. ad VVeſenb. de Contr. Emt. n. 9. verſ. ſed. ſi loco arrha &c.* quæ tamen diſtinctio nobis non probatur, cum oriatur ex falſo præſuppoſito, arrham nim. in pecuniâ numeratâ conſiſtentem, neceſſariò imputandam eſſe in pretium, imò, jam eſſe pretii partem, *Gothofr. d. l.* quod tamen ſuperius negavimus: diverſa quippe ſunt arrha & pretii pars, adeoq; pecunia non arrhæ nomine, ſed ut pretii pars data, arrha dici nequit. *VVeſ. in ᴨ. de C. E. n. 9. inſ. & ib. Bachov.*

Thesis XLVII.

Eodem planè modo in ſponſalibus, arrhæ datione partes non videntur receſſiſſe à priore tractatu, *Magn. D. D. Rebh. d. l.* ita ut v. g. ſponſalia de futuro tranſeant in ſponſalia de præſenti, aut hæc per arrham datam ipſum fiant matrimonium; ſed omne hoc diiudicandum eſt ex intentione & verbis contrahentium, cum arrha, ut ſignum æquivocum & ἀδιάφορον, per ſe tale quid non operetur, ſed utrobique locum habere poſſit. *D. D. Lauterb. θ. 97.*

Thesis XLVIII.

An autem à negotio jam perfecto cui arrha adjecta eſt, ſolâ ejus amiſſione aut dupli reſtitutione, recedere conceſſum ſit, contrariis votis à Dd. diſputatur; Nos à parte eorum ſtamus, qui ſtatuunt, ante omnia advertendum eſſe utrum Leges permittant à negotio principali reſilire, an v. non: & priori quidem caſu licita eſt (amiſſis tamen aut duplicatis arrhis) pœnitentia; Hinc, cum ſponſalibus renunciare jure civili nō prohibeamur, *l. 2. §. 2. ff. de divort. l. 1. C. de ſpons.* ſi quis cum jacturâ arrharum recedere velit, matrimonium conſummare non cogitur; non quod arrha interveniens in cauſâ ſit, ſed quod Leges hanc reſiliendi facultatem indulgeant etiam ubi nulla acceſſit arrha. Pariter, cùm in contractu in ſcriptis perficiendo, ante ſcripturæ abſolutionem, partes nullum jus ſibi poſſint vindicare, *l. 17. C. de fid. Inſtr.* (quia contractus adhuc videtur imperfectus; quamvis enim in contractibus conſenſualibus, præter conſenſum, regulariter nil requiratur. ſecus tamen ſe res habet, ubi cum in ſcripturâ fieri placuit, tum enim ſcriptura contractui fit quaſi eſſentialis, poſtquam non itâ purè & ſimpliciter, ſed conditionaliter, ut ſc: non niſi ſcripturâ interveniente contrahatur, in negotium conſenſum eſt) & per conſequens in eo pœnitentia locum habet, non propter arrham adjectam, ſed quòd pacta jure civili ad actionem producendam non ſunt efficacia *l. 10. C. de pact.* adeoq; nec paciſcentes ad præſtandum promiſſum validè aſtringunt: *D. D. Lauterb. th. 102.*

Thesis XLIX.

Poſteriori vero caſu, quo à negotio principali reſilire conceſſum non eſt, nec arrha data tale quid efficit, quippe, quæ non ad negotii reſolutionem, ſed firmiorem

rem ejus probationem adhibetur, *d. l. 35. ff. de C.E.* quod obtinet in omni contractu, perfectionem ſuam eſſentialem jam nacto, *l. 17. C. de R.V.* Sed hic videndum quid inter partes actum ſit, ſi enim placuerit, ut alterutro recedere volente, arrha alteri loco intereſſe cedat, hâc conventione meritò ſtandum eſt, nec recedens amplius quid præſtat, *v. l. ult. ff. de præt. ſtip.* ſi vero nil expreſſum, ſed arrha ſimpliciter data ſit, tum reſiliens non ſolum arrhas amittit aut in duplo reſtituit, ſed & præterea ad intereſſe præſtandum obſtrictus eſt. *l. 1. pr. ff. de A. E. Loco q. Iuſt. 304.*

Thesis L.

Nec impedit quod *in pr. I. de E.V.* arrha dicatur eſſe argumentum Emtionis (non contrahendæ, ſed) contractæ: quoniam & nos non inficias imus, arrhas accedere poſſe & ſolere negotiis jam perfectis, interim tamen negamus eas ſoli contractui jam perfecto, non etiam perficiendo, adjici poſſe, cùm Imp. *d. pr.* reſpexerit ad veterem arrhæ dandæ rationem, quæ, ut plurimum, perfecto demum negotio dabatur, nec de omni arrhâ, quocunque modo datâ, loqui propoſitum habeat; & contrarium ex ipſo *pr. & l. 17. C. de fid. Inſtr.* ſatis evidenter oſtendi poſſit: ubi Imp. dicit: *Donec aliquid deeſt* (quod ſanè contractum imperfectum deſignat) *pœnitentia locus eſt, & poteſt emtor vel venditor recedere ab Emtione:* (non perfectâ, de qua prædicari nequit, quod ei aliquid deſit, ſed perficiendâ) & mox ſubjicit: *Ita tamen impunè recedere licet, niſi quid arrharum nomine datum ſit* &c. quæ limitatio neceſſariò ad caſum immediatè præcedentem, Emtionis ſc: adhuc perficiendæ, referenda eſt, quia omnis exceptio de regulâ eſſe, *arg. l. 4. §. fin. ff. de pen. leg.* nec ad alios caſus extendi debet. Franſk. in comment. *de C. E. n. 32. Bachov. in comm. I. ad pr. de*

E. V. Et cum Imp. *in h. pr.* doceat, tam diu ſolùm pœnitentiæ locum eſſe, quam diu aliquid contractui deeſt, inepta eſſet quæſtio, an is arrhas amittat qui à contractu perfecto (in quo pœnitentia locum non habet) reſilit. *D. Lauterb. θ. 112.* Pariter *in l. 17. C. de. fid. Inſtr.* utitur Imp. verbis his: *ſi quæ arrhæ ſuper facienda Emtione datæ ſint*: & in ſeqq: *non procedente contractu*: item: *qui vendere pollicitus eſt*: quæ omnia contractum, perfectionem ſuam nondum aſſecutum arguunt. *Fransk. d. Comment. n. 26. Bach. d. l.*

Thesis LI.

Nec quicquam facit pro affirmativâ, quod *in d. pr.* dicitur, eum arrhas perdere qui venditionem celebratam recuſat adimplere: cum Imp. verbo celebratâ minus proprie uſus ſit & intellexerit emtionẽ de qua partes adhuc tractant: præcipuè enim ibi agit de contractu in ſcripturam redigendo, cui adhuc aliquid ad ſui perfectionem deeſt: poſtmodum comparat contractum ſine ſcriptis, cum eo qui in ſcriptura eſt perficiendus: inſubida vero eſſet comparatio contractus perfecti & imperfecti: Et quamvis verbum, adimplere, ubi contractui perfecto opponitur, ejus conſummationem denotet, *l. 57. pr. ff. de C. E. l. 46. ff. de A. E.* attamen, ubi negotio imperfecto contradiſtinguitur, ſimplicem ejus perfectionem deſignat, *l. 6. ff. ad SC. Maced. l. 17. C. de fid. Inſtr. verſ. & ſi per tabellionem* &c. *Bachov. d. l. & in not. ad VVeſenb. de C. E. n. 9. lit. Q.* Imò, ſi vel maximè verba hæc de contractu perfecto accipiamus, non tamen exinde ſequitur, recedentem ſolâ arrharum jacturâ puniri, cum Imp. de hoc articulo hîc nil agat: licet enim contractus perfectus imperfecto hactenus ſimilis ſit, quod recedens utrobique arrhas amittit, in aliis tamen diſſimilitudo, ſu-

pereſt, quâ, ab imperfecto recedens, præter arrham nil amittit; à perfecto vero reſiliens ultra eam ad intereſſe alteri tenetur, *l.1.l.28.ff.de A. E. Fransk.d.com. nu.30. D. Bicc. in A.ſ.4.θ.87.*

Thesis LII.

Nec argumentum iſtud: quod à contractu ſine ſcriptis, ad quem nil niſi conſenſus requiritur, qui ubi adeſt, contractus cenſetur prefectus, arrharũ jacturâ recedere quis poſſit, *d. pr.* per omnia admittimus: Interdum enim & talis contractus adhuc pendet, ſi v. g. partes vel de pretio vel de acceſſionibus non in omnibus plenè conſentiant, *v. l.8. C. de Reſc. vend. & l.35. §.5.ff. de C. E.* quo reſpectu contractus non ineptè dici poteſt imperfectus, qui, ſi poſtea conventio abſoluta ſit, perfectionem ſuam aſſecutus eſſe cenſetur. *Bach. d. l.*

Thesis LIII.

Effectus orti concernunt actiones, quibus arrhas perſequimur: Et quidem, ſi negotium perfectum fuit, licet partes poſteà ab eo receſſerint, quoniam unius ejusdemque rei dominium penes plures in ſolidum eſſe nequit *l. 5. §. ult ff. Commod.* dans autem in accipientem rei dominium tranſtulit, uti ſupra *θ.31. & 32.* probatum dedimus, danti non competit rei vindicatio ſed actio perſonalis *arg. l 3. C de A. E.* Condictio nim: ſine cauſâ *l. 11. §. 6. ff. de A. E.* & ſi verba *h. l. 11. §. 6. verſ. Iulianus* &c. diſpoſitivè accipiamus, etiam datur actio ex negotio principali, ſecundum tamen diſtinctionem *θ. 14.* adhibitam.

Thesis LIV.

Quod ſi negotium non fuerit perfectum caſu, ſeu ſine alterutrius facto, tùm danti itidem condictio ſine

cauſâ

cauſâ competit, qua ad ſimplicem reſtitutionem agit *arg. l. 11. §. 6. ff. de A. E. l. 5. C. de Sponſ.* Sin alterutrius facto negotium impeditum ſit, danti, ſi is in culpâ hæreat, repetitio denegatur, ſed agens continuo repellitur; accipiens vero, ſi ejus facto negotium ad exitum non perductum ſit, ad arrhæ duplicatæ reſtitutionem compellitur condictione ex Lege, *Cujac. 11. O. 17. C. I. A. de Sponſ. n. 10. in f.* pœna enim hæc legitima eſt. Si vero duplum, triplum aut quadruplum promiſſum ſit pacto in continenti contractui perfecto adjecto, poteſt intendi actio contractus, *l. 6. §. 1. ff. de A.E.* Et ſi contractus non fuerit perfectus, datur condictio ex Lege *arg. l. 5. C. de Sponſ.* ſtipulatione autem interveniente agitur ex ſtipulatu *arg. l. 27. C. de pact.* & ſi accipiens negaverit ſe arrhæ nomine rem accepiſſe, danti incumbit probatio *v. D. Lauterb. θ. 170. & 172.*

Thesis LV.

Properandum tandem ad affinia, quorum præcipua ſunt 1. Fiducia (quâ voce uſus eſt *Paulus 2. Sent. tit. d. depoſ. & Cic. in Oratione pro L. Flacco. ib: Pecuniam adoleſcentulo grandi fœnore, fiduciâ tamen acceptâ occupaviſti, hanc fiduciam commiſſam tibi tenes hodie & poſſides. & Ulp. in l. 9. §. 1. ff. de R. C.* hereditatem fiduciariam vocat, quæ ex fideicommiſſo reſtituenda eſt, ſic & heredem fiduciarium dicimus qui fideicommiſſario hereditatem rogatus reſtituit) quæ erat quædam pignoris ſpecies, quâ res aliqua eâ Lege alicui mancipabatur, ut quãdoq; mancipanti eam rem anciparet, *Magnif. D. D. Rebh. in Hodog. Iur. p. m. 143.* & obtinebat in omnibus ferè ſolennibus ceſſionibus, præcipuè autem in liberorum emancipatione, quæ per imaginarias venditiones celebrabatur, ubi triplex vēditio & trina manumiſſio interveniebat; & quoniam emtor requirebatur, tertius aderar,

rat, qui fiduciarius emtor dicebatur, hic uno nummo filium à patre emebat, & bis ita emtum ilicò manumittebat, manumiſſus ex L. Romuli in patriam recidebat poteſtatem; Tertiùm denique pater filium eâ Lege venundabat, ut emtor eum patri remanciparet, quo facto, pater ipſe filium manumittebat, & in eojus aliquod ad exemplum Patroni in liberto nanciſcebatur: & hic emancipandi modus contractâ fiduciâ fieri dicebatur, *§. ult. I. de legit. agn. ſucceſſ.* quæ poſtea ſemper interveniſſe prçſumebatur, *l. ult. C. de emanc. lib Bach. in Comment. Inſt. quib. mod. patr. pot. ſolv. §. 6. num. 1. Caj. l. 1. t. 6. §. ult.*

Thesis LVI.

Magnam quoque cum arrhâ affinitatem habet pignus, uti ſupra innuimus. Differunt tamen 1. Reſpectu materiæ, quod arrha plerunque non excedat, imò ne æquet quidem quantitatem ejus ſummç, quç in contractum venit; pignus vero eam ſuperet, ipſâ experientiâ teſte. 2. Ratione formæ, quod pignus conſtitui poſſit nudâ conventione, *l. 4. l. 13. §. 3. ff. de pign. act.* arrha actuali rei traditione opus habeat, *l. pen. C. de Sponſ. l. 17. C. de fid. Inſtr. ib. cujuscunq; rei data ſint.* 3. Ratione finis, quod Pignus conſtituatur ut creditor tantò ſecurior de credito quandoque recipiendo ſit, debitor vero eò facilius quendã inveniat, qui ei pecuniam credat, *l. 9. §. ult. de ſupell. leg. §. ult. I. quib. mod. re. contr. Obl.* 4. Ratione effectus, quod arrha interdum amittatur, interdum duplicata reſtituatur, prout alteruter in culpâ eſt: Pignus verò creditor, quamvis moroſo debitore, nunquam lucretur, ſed illud venum exponere cogatur, ſibique de pretio ſatisfacere pro quantitate debiti, reſiduumque reddere debitori compellatur actione pigneratitiâ, *l. 21. in f. ff. de pign.*

Theſis LVII.

Affinis quoque arrhæ ſponſalitiæ eſt donatio ante nuptias, quæ & ipſa ante matrimonium, & futuri matrimonii; *l. 15. Cod. de don. ant. nupt.* affinitatisque cauſa datur, tâm à ſponſo, quàm à ſponſâ & utriusque parentibus, *l. 1. 2. 4. 15. C. de don. ant. nupt.* & perficitur non ſolum traditione, verùm & promiſſione, *d. ll.* ita ut ſecuto matrimonio res promiſſa exigi poſſit, *l. 3. d. t.* imò interdum eo non ſecuto, ſi nim. ſponſalia fuêre vera, *l. 5. C. d. t.* Si nuptiæ ſecutæ ſint, donatarius res donatas lucratur, *l. 27. ff. de don. int. vir. & ux.* niſi partes aliter pactæ ſint. Si verò repudium miſſum cauſã nuptias diſſolvendi præbuit, tum donatarius innocens res donatas retinet; ſin ipſe in culpâ hęreat, condictione vel utili in rem actione convenitur. Nuptiis ob mortem alterutrius impeditis, ſi oſculum intervenit, ſponſus ejusque heredes res donatas pro parte dimidiâ; & ſi non intervenit in totum revocant, quod poſterius indiſtinctè in rebus, quas ſponſa donavit, obtinet. *l. 15. & l. 16. C. d. t.* Noſtris moribus ſuperſtes res donatas lucratur *C. l. A. de Spons. n. 11.*

Theſis LVIII.

Inter Affinia quoque referuntur ſumtus Vini, quos partes contrahentes poſt perfectum contractũ, confirmationis gratiâ in vinum inſumunt, ut præſentes tanto magis negotii geſti memores ſint, hinc dicitur: **Man habe den Weinkauff getrunckẽn** h. e. negotium eſſe perfectum *v. Geil. 2. O 19. n. 9.* ubi aſſerit, retrahentem rem venditam **durch Einſtand vnd Vorkauff**/ ad reſundendos iſtiusmodi ſumtus teneri, niſi modum legitimum exceſſerint. *VVehner. Obſ. Pract. Voc.* **Weinkauff.** Affinis quoque eſt ſanctus Denarius de quo ſupra.

Thesis LIX.

Affinibus quoque annumeratur pœna, quam partes contrahentes contractibus apponunt, *l. 7. ff. de ſerv. export.* quæque non ad probandum negotium, ſed ad coërcendas partes adjicitur; & cogitur promittens eam exſolvere, *§. 18. I. de inut. ſtipul.* Sponſalibus vero pœna talis addi nequit, *l. 5. C. de Sponſ. l. 134. pr. ff. de V. O.* ne matrimoniorũ libertas impediatur. *d.l. 5. C. de Sponſ.*

Thesis LX.

Inter affinia arrhæ ſponſalitiæ quoque eſt 1. Donatio Morganatica, quam maritus nuptæ alterâ nuptiarum die manè, pretium quaſi commiſſæ pudicitię donat *C. I. A. de Iur. dot. θ. 44.* 2. Dos, quæ datur ut mulier facilius nubere *l. 2. ff. d. Iur. Dot.* maritus onera matrimonii eò facilius ſufferre queat, *l. 7. pr. ff. & l. 20. C. de jur. Dot. C. I. A. ib. θ. 11.* 3. Dotalitium, quod uxori conſtituitur in bonis mariti defuncti, ut vel lucretur plenam proprietatem, vel nudum conſequatur uſumfructum. *C.* I. *A. d. l. θ.* 40. 4. Donatio propter nuptias, quæ mulieri conſtituitur, ut ei de dote vel de lucro nuptiali, in caſum matrimonii ſoluti, proſpiciatur. *C.* I. *A. d. t. θ. 29. & ſeqq.*

Thesis LXI.

Tandem inter affinia locum habet, pars pretii quę negotio perfecto repræſentatur, quæque non probationis ſed conſummationis cauſâ datur, & nobis **das Angelt** dicitur, cum ſc : partibus placuit pretium certis penſionibus exſolvere, quæ poſteriores penſiones nobis **die Ziel gelter** dicuntur.

Et hæc de Arrhis pro ingenii tenuitate collecta ſufficiant: Deo Trinuno ſit ſempiterna Laus, Honor & Gloria.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE